XVIII.

NOS

JOSEPHUS ALOYSIUS
Liber Baro Pukalski

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

Suæ Sanctitatis Prælatus domesticus, Solio Pontificio Assistens, Comes Romanus, Eques c. r. Ordinis Coronæ ferreæ II. Classis, Commendator Ordinis c. r. Austr. Francisci Josephi, Membrum Comitiorum Regni Galiciæ, Præses Commissionis pauperum Tarnoviæ &c. &c.



Salutem et Benedictionem a Domino!

Quis Nostrum non deplorat miseram sortem, qua S. Mater Ecclesia Romana hodie premitur, quis par est considerandae tribulationi, qua Sanctus Pater, Summus Pontifex Romanus in propria Urbe et Sede captivus affligitur! Fremente non minus diuturno, quam atroci inter potentissimos Europae status bello, et depressis viribus istius Imperii catholici

cujus protectione Ecclesia Romana ultimis temporibus fruebatur, inimici Ecclesiae audaciores facti, vehementiores quoque in prosequendis et perpetrandis perniciosis contra S. Sedem consiliis et propositis evasere; et quod ante aliquot menses vix credibile videbatur, nam solis minis et inanibus moliminibus absolutum comparebat, modo in ipsum atrox crimen sacrilegii prorupit.

Eousque impius ausus animum hostium Ecclesiae invasit, eousque odium religionis vesanam eorum mentem conturbavit, ut spreta omni justitia et aequitate, conculcatisque juribus ab antiquo tempore a Sancta Sede in possessione Dominii terrestris legitime acquisitis, excussa denique debita veneratione erga Vicarium Jesu Christi, non tantum Ecclesiam Sancti Petri Patrimonio suo ab antiquo tempore legitime acquisito spoliare et ita rapinam sacrilegam perpetrare minime vererentur, verum etiam dejecto omni freno religionis, ipsum liberum exercitium Potestatis Primatialis, Supremi Capitis Orbis catholici aggredi et impedimentis obstruere haud perhorrescant. Ipse S. Pater id lacrimabundus universo Orbi catholico pronunciat, et summo cum animi moerore effatur: sibi a momento occupationis territorii Romani ab exercitu italico, tam parum libertatis relictum esse, ut neque potestatem pontificiam per orbem catholicum exercere, nec Concilium oecumenicum die 8. Decembris 1869. cum tanto sui et Ecclesiae et populorum catholicorum gaudio et emolumento coeptum et quatuor sessionibus celebratum ultro continuare valeat, ita, ut se coactum censeat, synodum hanc suspendere, et usque ad tempus indeterminatum prorogare. Id Sanctus Pater expresse declarat Litteris apostolicis sub annulo piscatoris de 20. Octobr. 1870. Pontificatus sui anno 25. ubi ad Episcopos orbis catholici haec verba dirigit: „Confidebamus istiusmodi labores „(i. e. Concilii universalis) communi Fraternitatis studio ac zelo suos progressus habere, „et ad optatum exitum facili prosperoque cursu perduci posse; sed sacrilega repente invasio „hujus Almae Urbis, Sedis Nostrae, et reliquarum temporalis Nostrae ditionis regionum, „qua contra omne fas civilis Nostri et Apostolicae Sedis Principatus inconcussa jura in„credibili perfidia et audacia violata sunt, in eam Nos rerum conditionem conjecit, *ut sub „hostili dominatione et potestate*, Deo sic permittente ob imperscrutabilia judicia sua, pe„nitus *constituti simus*. In hac luctuosa rerum conditione, cum Nos a *libero expeditoque „usu supremae auctoritatis Nostrae divinitus collatae multis modis impediamur*, cumque „probe intelligamus, minime ipsis Vaticani Concilii Patribus in hac Alma Urbe praedicto „rerum statu manente, *necessariam libertatem*, securitatem, tranquillitatem suppetere et con„stare posse ad res Ecclesiae Nobiscum rite pertractandas, cumque praeterea necessitates „Fidelium in tantis iisque notissimis Europae calamitatibus, tot Pastores a suis Ecclesiis „abesse haud patiantur, idcirco Nos, eo res adductas magno cum animi Nostri moerore „perspicientes, ut Vaticanum Concilium tali in tempore cursum suum omnino tenere non „possit, praevia matura deliberatione, motu proprio ejusdem Vaticani oecumenici Concilii

„celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius tempus per hanc Sanctam Sedem „declarandum, Apostolica auctoritate tenore praesentium suspendimus, et suspensam esse „nunciamus, Deum adprecantes, auctorem et vindicem Ecclesiae Suae, ut submotis tandem „impedimentis omnibus Sponsae Suae fidelissimae ocius restituat *libertatem* ac pacem."

Dura sane et atrocia, et omnique juri sacro et profano contraria et inimica sunt haec tempora, tristes admodum atroces eventus, ac contra Sanctam Sedem perpetrati sacrilegi aggressus, quibus non solummodo suprema auctoritas Summi Pontificis ac libertas Ejusdem in exercenda potestate divinitus concessa Supremi Pastoris in discrimen adducitur, verum etiam pax et tranquillitas populorum christianorum, ipsa conscientia catholica gravissime feritur et vulneratur, nam impius hic et inimicus incursus, violenta haec et sacrilega invasio ipsum mystici Corporis Jesu Christi *cor*, et principalem fontem gravissimo ictu afficit, unde unitas Fidei et vitae spiritualis vis ac nutrimentum exorditur. Quanto magis vero deplorabilia et quanto funestiora comparere debent haec omnia Ecclesiae inimicorum conamina et perpetrata sacrilegia, quum ab iis progrediantur, qui perversa hypocrisi induti, adinstar luporum rapacium pelle agnina vestitorum, se Fidei catholicae genuinos asseclas, et Sanctae Sedis devotos filios simulare minime verentur, ut cum Psalmista exclamare cagamur: „*Et mentita est iniquitas sibi.*" (P. XXVI. v. 12.) Idcirco etiam merito quaeri possumus ac plorare cum Psalmista (II. v. 1. 2) „Quare fremuerunt gentes, et populi „meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum, adversus „Dominum et adversus Christum ejus."

Jam enim ante decennium iidem Sedis Apostolicae adversarii contra Dominium terrestre Summi Pontificis consurgentes, sine causa magnam partem ditionum Ecclesiae Romanae diripuere, verum nec his contenti, ut omnem mensuram flagitii superarent, nunc et ultimum Patrimonii S. Petri residuum eripuerunt. Ditiones has Ecclesia Romana largitate et magnanimitate principum Catholicorum legitime obtinuit, et donationem hanc orbis catholicus perpetua pietate sanctam et inviolabilem solerter custudivit, nunc autem injusti aggressores contra omne jus et fas, quin Summus Pontifex alicui bellum indiceret, quin aliquem armis impeteret, mera invidia, et terrarum harum potiendarum cupiditate ducti, Eundem bello petere, omnes terras Ejusdem, imo et ipsam Almam Urbem Sanctae Sedis, armato exercitu invadere minime trepidarunt. Verum his nondum finis. Eversione dominii terrestris Summi Pontificis Romani hostes Ecclesiae nondum votis suis ex integro delatum arbitrantur, nam subversa auctoritate hac et splendore terrestri, potente et necessario fulcro sublimioris nam spiritualis dominii, et primatialis potestatis Pontificiae; modo et contra hanc iniqua arma extollunt, et mox post captam Urbem neque tantum libertatis Sancto Patri relinquunt, ut independenter, prout Spiritus Dei suggesserit, Ecclesiam guber-

nare et potestatem primatialem, quam ex divina Institutione Jesu Christi sortitur, sine impedimento exercere valeret. Tristissimae hujus rerum conditionis luculentissimum vel in eo repositum est testimonium, quod Beatissimus Pater mox post expugnatam Urbem Concilium oecumenicum suspendere, et congregatos ad Concilium Patres dimittere cogeretur. Inter tantas rerum angustias tantasque tribulationes, quid Nobis superest, Venerabiles Fratres! „Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Jerusalem? cui exaequabo te et „consolabor te virgo filia Sion?“ (Thren. II. 13.) Quum humanum non suppetat auxilium, nonnisi ab Omnipotente Deo salus sperari poterit. „Bonus est“ etenim „Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum“ et „bonum est praestolari cum silentio salutare „Dei“ (Thren. III. 25. 26.) Audiamus Sancti Patris Ordinationem, qui in Litteris supra citatis „tali modo hoc obtutu disponit. „Quoniam vero quo pluribus et gravioribus periculis malis„que vexatur Ecclesia, eo magis instandum est obsecrationibus et orationibus nocte ac die „apud Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi, Patrem misericordiarum et Deum totius „consolationis, volumus ac mandamus, ut ea, quae in apostolicis litteris die 11. Aprilis anno „proxime superiori datis, quibus indulgentiam plenariam in forma Jubilaei occasione Oe„cumenici concilii omnibus Christifidelibus concessimus, a Nobis disposita ac statuta sunt, „juxta modum et rationem iisdem litteris praescriptam in sua vi, firmitate et vigore perma„neant, perinde ac si ipsius Concilii celebratio procederet.“

Perseveremus igitur in assidua oratione et auxilium a Deo imploremus! Eapropter in pleno vigore permanent, non obstante Concilii suspensione omnia, quae litteris Nostris de 15. Julii 1869. N. 104. praesid. Curr. X. (cf. Curr. VII. N. 2032. ex 1869.) praecepimus et disposuimus fine indulgentiarum lucrandarum, tum etiam quoad collectas de Spiritu S. contra persecutores Ecclesiae et pro Papa inter Sacrum Missae sacrificium recitandas. State constantes in fide et veritate, et emundantes propriam conscientiam, lucrum spirituale ex indulgentiis istis percipere satagite, verum etiam populum fidelem, respective eos, qui beneficii istius nondum participes evasere, ad hauriendam ex hoc fonte misericordiam divinam excitate. Non minus populum fidelem, de calamitatibus Ecclesiam Jesu Christi tantopere prementibus edocete, eumque ad preces fervidas continuo pro Ecclesiae incolumitate, et Summi Pontificis salute et consolatione fundendas invitate. In hoc autem pio opere roborent nos verba Venerabilis Bedae presbyteri. „Hodie... triumphis Ecclesia Sancta coronatur, quorum confessio quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore: quia dum crevit pugna, crevit et pugnantium gloria, et martyrii triumphus multiplici passionum genere adornatur: perque graviora tormenta, graviora fuere et praemia, dum Catholica Mater Ecclesia, quae per totum orbem longe lateque diffusa est, in ipso *Capite* suo Christo Jesu edocta est contumelias, cruces et mortem non timere; magisque roborata non re-

sistendo, sed perferendo, universis, quos agmine inclyto carcer poenalis inclusit, pari et simili calore virtutis ad gerendum certamen gloriam triumphalem inspiravit. Gratia et Benedictio Dei Omnipotentis sit cum omnibus Vobis. Amen.

Dabamus Tarnoviae die 30. Octobris 1870.

Sequentibus communicamus Venerabili Clero integrum tenorem Litterarum Apostolicarum Summi Pontificis Pii supra citatarum de 20. Octobr. 1870.

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

Postquam Dei munere Oecumenici Vaticani Concilii celebrationem inire anno proxime superiori Nobis datum est, vidimus sapientia, virtute ac sollicitudine Patrum qui ex omnibus orbis terrarum partibus frequentissimi convenerant maxime adnitente, ita res gravissimi hujus et sanctissimi operis procedere, ut spes certa Nobis affulgeret, eos fructus, quos vehementer optabamus, in Religionis bonum et Ecclesiae Dei humanaeque Societatis utilitatem ex illo fore feliciter profecturos. Et sane jam quatuor publicis ac solemnibus Sessionibus habitis salutares atque opportunae in causa fidei Constitutiones a Nobis eodem sacro approbante Concilio editae ac promulgatae fuerunt, aliaque tum causam fidei tum ecclesiasticae disciplinae spectantia ad examen a Patribus revocata, quae suprema docentis Ecclesiae auctoritate brevi sanciri ac promulgari possent. Confidebamus istiusmodi labores communi Fraterninatis studio ac zelo suos progressus habere, et ad optatum exitum facili prosperoque cursu perduci posse; sed sacrilega repente invasio hujus Almae Urbis, Sedis Nostrae, et reliquarum temporalis Nostrae ditionis regionum, qua contra omne fas civilis Nostri et Apostolicae Sedis Principatus inconcussa jura incredibili perfidia et audacia violata sunt, in eam Nos rerum conditionem coniecit, ut sub hostili dominatione et potestate, Deo sic permittente ob imperscrutabilia judicia sua, penitus constituti simus. In hac luctuosa rerum conditione, cum Nos a libero expeditoque usu supremae auctoritatis Nobis divinitus collatae multis modis impediamur, cumque probe intelligamus, minime ipsis Vaticani Concilii Patribus in hac alma Urbe, praedicto rerum statu manente, necessariam libertatem securitatem, tranquillitatem, suppetere et constare posse ad res Ecclesiae Nobiscum rite pertractandas, cumque praeterea necessitates Fidelium, in tantis iisque notissimi Europae calamitatibus et motibus tot Pastores a suis Ecclesiis abesse haud patiantur; idcirco

Nos, eo res adductas magno cum animi Nostri moerore perspicientes, ut Vaticanum Concilium tali in tempore cursum suum omnino tenere non possit, praevia matura deliberatione, motu proprio ejusdem Vaticani Oecumenici Concilii celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius tempus per hanc Sanctam Sedem declarandum, Apostolica auctoritate tenore praesentium suspendimus, et suspensam esse nunciamus, Deum adprecantes auctorem et vindicem Ecclesiae Suae, ut submotis tandem impedimentis omnibus Sponsae Suae fidelissimae ocius restituat libertatem ac pacem. Quoniam vero quo pluribus et gravioribus periculis malisque vexatur Ecclesia, eo magis instandum est obsecrationibus et orationibus nocte ac die apud Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, volumus ac mandamus, ut ea quae in apostolicis litteris die 11. Aprilis anno proxime superiori datis, quibus indulgentiam plenariam in forma Jubilaei occasione Oecumenici Concilii omnibus Christifidelibus concessimus, a Nobis disposita ac statuta sunt, juxta modum et rationem iisdem litteris praescriptam in sua vi, firmitate et vigore permaneant, perinde ac si ipsius Concilii celebratio procederet. Haec statuimus, nunciamus, volumus, mandamus, contrariis non obstantibus quibuscumque; irritum et inane decernentes si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum suspensionis, nunciationis, voluntatis, mandati ac decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus quorum interest innotescant, volumus illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum, nec non S. Mariae Majoris de Urbe affigi, publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos quos illae concernunt perinde arctare, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Octobris Anno MDCCCLXX.

Pontificatus Nostri Anno vicesimo quinto.

N. Card. Paracciani Clarelli.

In nexu cum Nostris litteris supra occurrentibus ordinamus, ut Preces infra adductae ad statum tribulatum Suae Sanctitatis Papae Pii IX. adcommodatae recitentur publice ante supplicationes et quidem loco hucusque usitatorum, et ut pro privato usu fidelibus commendentur.

Modły za Ojca św. Piusa IX.

w wielkim obecnie ucisku znajdującego się.

Antyfona:

Piotra chowano w ciemnicy. Lecz modlitwa bez przestanku działa się od kościoła ku Bogu za nim. Dzieje Apos. 12, 5.

Psalm III.

Panie przecz się rozmnożyli co mię trapią? wiele ich powstaje przeciwko mnie.
Wiele ich mówi duszy mojéj: niema ten zbawienia w Bogu swoim.
Ano ty Panie jesteś obrońca mój: chwała moja i podwyższający głowę moję.
Głosem moim wołałem do Pana: i wysłuchał mię z góry świętéj swojéj.
Jam spał i twardom zasnął: i wstałem bo Pan obronił mię.
Nie będę się bał tysięcy ludu około mnie leżącego: powstań Panie, wybaw mię Boże mój.
Boś Ty pobił wszystkie sprzeciwiające się bez przyczyny: pokruszyłeś zęby grzésznikow.
Pańskie jest wybawienie: a nad ludem Twoim błogosławieństwo Twoje.
Chwała Ojcu i Synowi i Duchowi świętemu: jak było na początku teraz zawsze i na wieki wieków, Amen.

Piotra chowano w ciemnicy. Lecz modlitwa bez przestanku działa się od kościoła ku Bogu za nim. Dzieje Apos. 12, 5.

W. Spojrzyj Obrońco nasz Boże.
O. I wejrzyj na twarz Namażańca Twego.
W. Zbaw Panie sługę Twego Piusa.
O. Boże mój! nadzieję mającego w Tobie.
W. Strzeż go jako żrenicy oka.
O. I nie podaj go na wolę nieprzyjaciół jego.
W. Ześlij mu Panie! pomoc z miejsca Twego świętego.
O. A ze Syonu racz go bronić.
W. Niechaj nic nie zyska na nim nieprzyjaciel.
O. A syn nieprawości niech mu nie śmie szkodzić.
W. Panie wysłuchaj modlitwy nasze.
O. A wołanie nasze niech do Ciebie przyjdzie.

Módlmy się!

Wejrzyj Ojcze niebieski! na srogi ucisk najwyższéj głowy kościoła świętego Piusa IX. i racz go na łzy i prośby nasze wyzwolić z rąk nieprzyjaciół jego, by wolny od wszelkiéj przemocy rządzić mógł swobodnie kościołem Twoim świętym i bezpiecznie prowadzić powierzoną sobie przez Ciebie owczarnię do przybytków niebieskich.

Przyjm łaskawie prosimy Cię Panie! modlitwy kościoła Twojego, aby po zwalczeniu wszelkich przeciwności i błędów w bezpiecznéj służył Ci wolności.

Roztrąć pychę nieprzyjaciół naszych, prosimy Cię Panie! i poraź ich mocą prawicy Twojéj. Przez Chrystusa Pana naszego, Amen.

Dabamus in Aedibus Nostris

Tarnoviae 20. Novembris 1870.



JOSEPHUS ALOYSIUS,
EPISCOPUS TARNOVIENSIS.

Tarnoviae, 1870. Typis A. Rusinowski, Typographi Episcopalis. Impensis Consistorii.